

à quò, id est, forma privationi, quod tamen est principium apud omnes Physicos receptissimum.

§. 18. Denique hoc quoque argumentum urgeri solet contra prædictam sententiam : *Quicquid prius respicit hanc formam sive formam singularem, antequam respiciat hanc quantitatem, illud est singulare, antequam respiciat hanc quantitatem.* Sed materia respicit prius hanc formam, seu formam singularem, antequam respiciat hanc quantitatem. Ergò materia est singularis, antequam respiciat hanc *Quantitatem*. Ergò per consequens non est singularis, quatenus respicit hanc quantitatem, sive quatenus est capax hujus Quantitatis. Sicuti cum Petrus sit homo, antequam sit visibilis, non est homo, quatenus est visibilis. Minorem probant exinde, quia omnis actus singularis præexigit potestatem singularem. Jam hæc forma sive forma singularis est actus singularis. Ergò præexigit potentiam singularem.

C

Quæ